

ad perfectionem simpliciter, quæ si in Deo non fuerit formaliter, neque in creaturis esse potest. Deinde si aliqua causa est capax libertatis, maximè intellectualis creatura erit: Atqui si in Deo non esset libertas agendi, non esset etiam in creatura intellectuali. Deus quippe est intellectualis per essentiam, creatura per participationem. Quicquid ergò perfectionis in gradu intellectuali excogitari potest, unde oriatur libertas, excellentiori modo est in Deo. **Decisio** ergò ζητήσεως cum Suario sit: Etiam si prima causa ageret ex necessitate naturæ illo modo, non tamen impedituram usum libertatis, neque ablaturam omnem contingentiam effectuum causarum secundarum. Rationes hujus tres vide ad excell. Dn. Jac. Martin. Disp. Metaph. 10. quæst. 5. Nos pergitur.

### Quæstio VIII.

*An astra agant in voluntatem hominis?*

Sicut clavus clavum; ita error alium trudit et secum trahit, ad eò ut verum sit illud Aristotelis; *Dato uno inconvenienti, sequuntur infinita.* Id quod circa hanc quæstionem potissimum contingere manifestum est: Etenim non defuerunt, nec defunt, qui cœlorum influxum directè & per se cadere in humanas animas & voluntates ajunt, id quod infert animæ materialitatem, ac consequenter mortalitatem. Verùm nihil illud cymbalum ad nostras aures. Nos pro hac placenta, cibum firmiorem apponemus, ex Distinctionum promptuario desumptum. Non igitur simpliciter dicimus, cœlum ut & astra in voluntatē hominis non agere, quando quidem cœlum 1. per suum motum. 2. lumine suo, 3. Denique virtute & influentiā sua, tribus hisce mediis q. instrumentis in hæc inferiora agit, Velcurio Phys. l. 2. c. 2. Sed, ut dixi. *Distinguiamus inter actionem Mediatam & immediatam*, qua distinctione rectissimè hæc decidetur quæstio. Corpora cœlestia agunt in potentiam animæ, voluntatem videlicet, *Mediatè*; non tamen eandem cogendo, tum quod hac ratione Deus injustitiæ argui posset, talia astra creans quibus hic homo nolens volens ad benè agendum, ille ad peccandū cogatur, tum quod libertas agendi voluntati denegaretur: sed inclinando, & quidem mediante temperamento: Etenim quamprimùm sanguis circa eor ab astris calefit, hominis voluntas ad iram excitatur; si quidem ex efferve escente sanguine appetitus irascibilis profluit: Sic ergò *corpora cœlestia directè in Temperamentum, indirectè verò in voluntatem agunt.*